



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1725. usque ad annum 1728

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1784

VD18 13322648

§. 34. Constitutiones ac decisiones S. Congregationum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67667)

Parmæ & Placentiæ Ducatus in Hispanum Principem rursus devolutos, & Jura Sedis Apostolicæ penitus neglecta: Querebatur itidem, dominium binis abhinc sæculis pacifice usque ad hæc tempora a Pontificibus continuatum, jam nunc ab aliis, se quasi infcio pefumdatum, pacem Westphalicam & Olivensem esse firmatas, & Viennensem ac Gallicam Aulam arctius cum Protestantibus conjunctam. Eapropter ad suos Nuntios Apostolicos quaquaversum hac super re literas perscribit, oppido graves, omnesque Catholicos Europæ Principes admonet de vulnere auctoritati Sedis Apostolicæ inflicto; ast irrito prorsus conatu, prævaluit enim certæ pacis utilitas dubii juris tuendi proposito, ac exin novam controversiam excitandi periculo.

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

§. XXXIV.

Constitutiones ac decisiones S. Congregationum.

Hoc item anno S. Congregationum plura decreta annuente & confirmante summo Pontifice, fuere edita, & primo quidem occasione Jubilæi Benedictus XIII. die decima Januarii declaravit, in generali Indulgentiarum suspensione non intelligi suspensas in-

*Decret.
Congr. Rit.*

M 2 indulgen-

Sæc. XVIII.
A. C. 1725.

*Petra Com-
ment. ad
Constit. 18.
Sixti IV.
t. 5. p. 565.*

dulgentias Altarium Privilegiatorum pro defunctis, neque quasvis alias pro solis defunctis concessas, nec eas, quæ concedi solent a Cardinalibus Legatis, Nuntiis Apost. & Episcopis in usu Pontificalium, vel in dandis benedictionibus, vel in alia consueta forma, vel quæ datæ sunt recitantibus orationem: *Angelus Domini*. Die autem decima Martii S. Rituum Congregatio proprium S. Firmini Ep. & M. Officium die septima Julii recitandum ad omnes Hispani Regis ditones & Clericos extendit, voluitque, ut Officium B. V. de Rosario & B. Mariæ de Monte Carmelo in universa Ecclesia, & illud de translatione S. Domus Lauretanæ in tota Dalmatia recitaretur: Declaravit etiam die decima Aprilis, quod FF. Prædicatores quotannis processionem SS. Rosarii prima Mensis Octobris Dominica celebrare, & absque assistentia Parochi, nec requisita Ordinarii licentia, limites cujuscunque Parochiæ ingredi libere & licite possent. Præcepit insuper Pontifex die nona Maij, ut in omnibus Seminariis imposterum Alumni Grammatices, Cantus Gregoriani, Computi Ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplina erudirentur, & S. Scripturæ, Catechismi, aliorumque Ecclesiasticorum librorum, præsertim vero de

de Sacramentis sacrisque Ritibus tra- Sæc. XVIII.
stantium lectioni diligenter incumbere- A. C. 1725.
rent. Denique S. Rituum Congrega-
tio die septima Julii Officium de S. An-
drea Avellino pro die decima Novem-
bris & Officium S. Vincentii Ferrerii
& S. Philippi Nerii ad utrumque Cle-
rum universæ Ecclesiæ extendit.

§. XXXV.

*Graves molestiæ summo Pontifici
illatæ.*

Primis sui Pontificatus auspiciis Be-
nedictus XIII. pluribus implicaba-
tur molestiis: Has inter haud infima
erat diuturna non minus, ac vehemens
controversia cum Sardinæ Aula; post-
quam enim hic Ducatus Anno 1719.
ex mutuo pacto ad Sabaudix Ducem
transierat, Romana Curia ab eo pete-
bat, ut Dux beneficiariam inaugura-
tionem pro hoc Ducatu a summo Pon-
tifice peteret, & Inquisitionis Tribunal
ad normam Hispanici erigeret. Urgetur
hoc negotium non modo Taurini, sed
& Parisiis, & Cameraci; sed incassum
omnia; tandem vero ad expugnandum
Ducis animum postremus adhibebatur
aries, atque jus Patronatus seu jus
ad nominationem Episcoporum, Cle-
ricorumque novo Duci in controver-
siam